



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio prima. Vtrum anima Christi potuerit semper esse in actu secundo
huius scientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

eius est, quia hæc scientia data est, iuxta proportionem animæ humane, sed hic modus habitualis scientiæ est connaturalis animæ humane: ergo. Quam rationem magis explicans in solutione ad primū, differentiam constituit inter scientiam beatam, & hæc infusam, quod illa excedit modum humane nature, & est perfectissima simpliciter, & ideo semper est in actu secundo: hæc vero est secundum modum proportionatum humane nature, & solum est perfectissima in genere humane cognitionis, & ideo non oportet, ut semper sit in actu secundo.

Quidam.

In qua doctrina statim occurrit difficultas, quia videtur D. Tho. euertere omnia, quæ de hac scientia diximus, & sentire, non esse per se, sed per accidens, infusam: nam si per se infusa est, ergo est supernaturalis, & excedens naturalem capacitatem humane nature: cur ergo dicitur dari secundum modum connaturalem humane nature? Et confirmatur, quia species & lumen huius scientiæ non sunt connaturalia humane nature: ergo nec quoad modum existendi in actu, vel in habitu oportebit, ut sit connaturalis humane nature. Vnde secundo difficile est, quod D. Tho. ait, hanc scientiam esse perfectissimā, non simpliciter, sed in genere humane cognitionis. Interrogo enim, quid nomine humane cognitionis intelligat. Si enim loquatur de cognitione connaturali ipsi homini, supponit aperte, hanc scientiam esse per accidens infusam, & falsum est, quod dicit, quia hæc scientia perfectior est omni angelica cognitione, tam naturali, quam supernaturali, excepta scientia beata: si autem per cognitionem humanam, intelligit omnem cognitionem, quæ potest esse in homine, etiam supernaturaliter, hoc modo etiam scientia beata potest dici humana, & ita etiam propositio falsa erit.

Responsio.

Respondetur breuiter, scientiam rerum seu creaturarum in proprio genere vocasse D. Tho. scientiā accommodatam modo cognoscendi creature nature: est enim proprium Dei cognoscere creaturas per suam essentiam, quia proprium est eius, illas omnes continere tanquam propriam omnium causam, & ideo modus cognoscendi res in Verbo dicitur singulariter à D. Thoma, modus excedens conditionem nature humane: non quia non excedat etiam conditionem angelicæ nature, sed quia nunc de humana natura erat sermo. Dicitur ergo hæc scientia dari modo connaturali animæ humane, non quia non sit per se infusa, & supernaturalis, sed quia data est per infusionem specierum representantium res in proprio genere: & quia supernaturalia infundi solent, quantum fieri potest, modo accommodato nature, & cognitio, quæ sit per intelligibiles species, solet esse subiecta arbitrio operantis quoad vsum earum in actu secundo, inde probabiliter intulit D. Tho. hanc scientiam hoc modo infusam esse animæ Christi, & ita esse habitalem, & per hoc fit lapsus primæ difficultati.

Ad secundam vero respondetur distinguere D. Tho. scientiam humanam à scientia diuina, quæ habetur per ipsammet essentiam Dei: vnde cum dicit, hanc scientiam esse perfectissimā in genere cognitionis humane, non solum intelligit de cognitione naturali, sed de omni cognitione, quæ per species inditas fieri potest, saltem de potetia ordinaria, quid sit de absoluta. Vnde sub hac cognitione humana comprehendit cognitionem omnium, quæ extra verbum esse potest in anima humana, tam coniuncta corpori, quam separata, & tam per naturam, quam per infusionem Dei: & hoc modo scientia perfectissima in hoc genere excedere potest, non solum scientiā hominū, sed etiam angelorū. Et ita soluitur secunda difficultas, & exposita est solutio ad primū, d. Secundum argumentum D. Tho. est huiusmodi. Per hanc scientiam cognoscit anima Christi infinita: ergo vel simul omnia illa intelligit, vel nunquā

poterit per successionem actuum illa omnia considerare. Respondet D. Thom. concedendo res cognitatas per hanc scientiam in actu primo esse infinitas, & ita nunquam posse omnes actus considerari ab anima Christi, nec simul, nec successiue, neque tamen propterea superfluum esse talem primum actum, quia satis est, ut pro loco & tempore possit anima Christi actus considerare quamlibet ex illis infinitis rebus. In qua solutione difficile creditur est, nunquam posse animam Christi per actus ab hac scientia elicitos exhaustire totum materiale obiectum huius scientiæ. Melius ergo videtur solui argumentum (ut Caietan. hic notauit) dicendo, posse animam Christi per finitum numerum actuum, actu contemplari omnia, quæ sub hanc scientiam cadunt, etiam si infinita sint: quia illa per finitum numerum specierum representantur, & per quamlibet speciem potest habere actum illi adæquatum. Vnde fit, consequenter dicendum esse potuisse interdum animam Christi actus considerare infinita per hanc scientiam sub aliquo genere vel specie, quia aliās non posset totum obiectum infinita complectens, finitis actibus pertransire: hoc vero nullum est incommodum, cum talis cognitionis modus etiam angelis possibilis sit.

DISPUTATIO XXVIII.

In duas Sectiones distributa.

De actibus scientiæ infusæ anime Christi.

DE his actibus in præcedenti disputatione tacta sunt multa, quæ hic breuiter supponi possunt, videlicet, illos esse certos, & euidentes esse supernaturalis ordinis, atque adeo perfectiores, quam sint actus cuiuscunque scientiæ humane, vel angelicæ, præter visionem beatam. Hic ergo duo tantum super sunt disputanda, quæ D. Tho. his articulis tetigit. Vnum est, an hi actus sint multiplices, vel sit vnus tantum, continuus vel interruptus: cum qua questione coniuncta est alia, an scilicet, hæc scientia, vel necessario sit, vel saltem esse possit: semper in actu secundo. Alterum est, an actus huius scientiæ sit per modum simplicis intelligentiæ, vel per modum compositionis, & discursus.

SECTIO I.

Utrum anima Christi potuerit semper esse in actu secundo huius scientiæ.

Dico primo: Christus Dominus non impeditur per scientiam beatam, quominus possit actum huius scientiæ circa res easdem exercere. Hæc conclusio est contra Gabrielem, qui in 3. d. 14. q. vnica, ar. 3. dicit, non posse animam Christi simul easdem res per hanc scientiam, & per beatam contemplari. Sed est sententia sine fundamento, nam inde fit, vel non cognoscere animam Christi in Verbo eas res, quas per hanc scientiam cognoscit, quod supra improbatum est: vel non posse uti hac scientia, nisi mutando, seu auertendo considerationem scientiæ beatæ, quod tamen facere, & præter naturam est illius visionis, & contra debitum ordinem esset: quis enim diuinam scientiam, propter vsum inferioris scientiæ, vel ad momentum, omitteret? Deinde actus harum scientiarum, procedunt ex diuersis virtutibus & principiis. Nam de speciebus intelligibilibus id constat: de lumine vero intellectuali est satis probabile (ut infra disputabitur) licet fortasse sit idem lumen vtriusque scientiæ: tamen actus visionis est ita connaturalis illi, ut quasi naturaliter manet ab illo, actus vero per inferiores species circa creaturas sunt liberi, & ideo non repugnat, habere actum aliquem ex his

his inferioribus, simul cum illo superiori, sicut intellectus angelicus habet hoc modo actuale sui cognitionem veluti connaturalem, & vsum liberum alicuius speciei intelligibilis. Tandem quāvis vnus & idē sit intellectus per vtramque scientiam operās, tamen ad vtramque potest perfecte attendere, quia non proprie naturali virtute operatur, sed diuino lumine, & auxilio confortatus, & eleuatus.

Dico secundo. Anima Christi potuit semper, & a principio creationis suae, esse in actuali vfu & consideratione huius scientiae, sine impedimento sensui, vel corporis corruptibilis. Hae sumitur ex D. Th. hic, & ostendi potest sufficienter, animam Christi a principio suae creationis, seu conceptionis, habuisse vsum rationis, non tantum in visione beata, sed etiā extra illam, & statim habuisse actum meritorium, fundatum in cognitione huius scientiae: qui modus operandi supponit independentiam a corpore & phantasia, nam in illa etate, saltem ex natura rei, non sunt apta organa sensuum, vt rationi deseruiat. Propriā vero ratio sumitur ex duplici capite: primo ex statu & perfectione animae Christi. Nam licet informaret corpus corruptibile, erat tamen beata, & ideo ita dominabatur corpori, vt in suis spiritualibus actibus, ab illo non impediretur: haec enim potestas & perfectio, ad perfectionem beatitudinis animae spectat: anima autē Christi, licet caruerit illis perfectionibus status beatifici, quae ad corpus pertinent, seu repugnant cum conditione corporis possibilis, eas tamen, quae ad animam spectant, qualis est illa, de qua agimus, semper retinuit. Secundo probari potest ex parte ipsius scientiae per se infusae, quae superioris est ordinis, & ita abstracta a sensibilibus, vt ab illis per se nulla ratione pendeat, ex quo etiam fit, vt potuerit Christus vti hac scientia, sine dependentia seu conuersione ad phantasmata.

Scientia infusa Christi independens a phantasmatibus.

Obiectio.

Responsio.

Sed obijcit Duran. in 3. d. 14. q. 3. quia viator, vt sic, pendet in suis actionibus a phantasia, haec autem scientia data est Christo tanquam viatori: ergo in illius vfu pendebat a phantasmatibus. Sed haec ratio nullius vno momenti, primū quia licet maior sit vera in homine puro viatore, non tamen in eo, qui simul est viator & comprehensor. Secundo, quamuis haec scientia dicatur data Christo vt viatori, quia erat cognitio extra Verbum, & ita magis accommodata ad actiones meritorias, tamen etiam pertinet ad quandam perfectionem & ornamentum animae beatae, & ideo habuit modum operandi, consentaneum animae beatae, & per se non repugnantem rationi meriti, aut satisfactionis, quae sunt actiones viatoris. Vnde dicitur tertio, interdū per diuinam gratiam eleuari hominem pure viatorem ad intelligendum aliquid sine phantasmatibus, vt altissima cōtemplatione, vel prophetica reuelatione; hanc autem perfectionem, quae interdum cōmunicatur homini viatori quasi in transitu, habuit anima Christi permanentē quasi per modum habitus.

Addit quarto D. Th. ar. 2. ad 3. potuisse Christum vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata, quod solum potest habere locū in his obiectis quorum Christus habebat phantasmata, nō vero in rebus spiritualibus, quas, prout in se sunt, cognoscebat, vt per se constat. Et hoc argumento, a cognitione harum rerum desumpto, conuincit etiam potest conclusio posita. Cum contemplabatur vero res sensibiles, quarum habebat phantasmata, poterat mouere & applicare phantasmata ad cogitandum de eisdem rebus modo sibi accommodato. Non vidēo tamen cur hoc redunder in imperfectionem huius scientiae, quamuis hoc D. Th. indicet ar. 4. quia haec conuersione non dicit vllam dependentiam talis scientiae a phantasmatibus, sed solum dicit efficaciam, & morionem quandam, quae potius spectat ad perfectionem eius, accommodatam subiecto, in quo existit. Vnde solum potest haec existimari imperfectio, quasi per

A extrinsecam denominationem, quia scilicet, est in subiecto inferioris naturae.

Dico tertio. Verisimile est, animā Christi semper fuisse in aliquo actu secundo huius scientiae. Probatū primo, quia hoc erat in potestate ipsius Christi, & est maior perfectio, non repugnans alteri perfectioni, quia melius est, esse in actu secundo, quam tantū in primo, & ille actus secundus vt diximus non repugnabat visioni beatae, neque etiam repugnabat cognitioni naturali, propter eandem rationem, quia sunt actus diuerforum ordinum, ex diuersis principijs, & virtutibus, procedentes: ergo verisimile est, semper Christum vsum fuisse hac perfectione. Et confirmatur, nam Angeli semper sunt in aliquo actu secundo: ergo multo magis anima Christi.

Sed obijcies, nam Diuus Thomas hic articulo quinto significat contrarium, scilicet hanc scientiam fuisse in Christo interdum tantum in actu primo, hoc enim sensu (vt diximus) vocat illam habituales.

Respondeo primum, D. Thomam praefertim intendere docere, non esse quali intrinsecum, & connaturale huic scientiae, esse in actu secundo, sicut est scientiae beatae, sed vsum eius fuisse liberum animae Christi, quod est sine dubio verum, quia actus huius scientiae non est immutabilis natura sua, neque est aliquid, quod necessitatem simpliciter imponat animae Christi, vt sit semper in actuali vfu & consideratione huius scientiae: hoc est satis, vt dicatur scientia habitualis. Et propterea etiam non dixi, esse certum, sed tantum verisimile, animam Christi fuisse semper in actuali vfu huius scientiae, quia hoc est illi possibile, perfectius, & a volūtatē illius pendens. Secundo fortasse etiam intendit D. Thomas, non esse hanc scientiam semper in eodem actu secundo, vt iam dicam.

Quaeri enim hic potest primo, quomodo haec scientia esse semper potuerit in actu secundo, an in eodem actu adaequato toti scientiae, an vero in diuersis actibus adaequatis, quasi per successionē seu transitum ab vno ad alium. Nonnulli censent probabile, potuisse animam Christi vno & eodem actu contemplari omnia obiecta huius scientiae, quod censet probabile Marfil. in 3. q. 10. ar. 2. 4. part. illius, concl. 2. & 3. quia haec perfectio, neque est impossibilis, nec excedit Christi meritum, seu dignitatem: & hinc sit probabile vt in hoc actu perfectissimo, & adaequato huic scientiae, semper actu perseveret. Sed id, quod haec scientia supponit, difficile creditu est, considerata natura huius scientiae. Et ita fere reliqui Theologi sentiunt, varios & multiplices esse actus huius scientiae, quod non obscure colligitur ex D. Thomae articulis, praefertim 3. & 5. & idem sentiunt Ricard. & Bona. & alij in 3. d. 14. Primo, propter rerum multitudinem diuerforum generum, & ordinum, quae sub hanc scientiam cadunt, & non in aliquo primario obiecto, sed per proprias species cognoscuntur. Secundo, propter varios modos cognoscendi: quaedam enim res cognoscuntur per hanc scientiam a priori, quaedam a posteriori, quaedam intuitiue, alicubi abstractiue, quaedam per euidētiā ipsarum rerum, quaedam fortasse per solam euidētiā in relincente: sed tanta diuersitas nō videtur posse cadere in vnum & eundem actum. Denique fere nullus est habitus, habens plura obiecta materialia, qui vno actu complectatur omnia illa. Verisimilius etiam est (vt infra dicam) species intelligibiles huius scientiae esse plures, non vnam tantum, actus autem alicuius scientiae multiplicari solent, vt minimum, iuxta numerum specierum intelligibilium. Et hinc consequenter fit, animam Christi non permanere semper in vno & eodem actu huius scientiae.

Sed tunc occurrit secunda dubitatio, an Christi anima potuerit simul elicere omnes actus huius scientiae, seu actu considerare omnia materialia obiecta

etiam, licet diuersis actibus: & consequenter, an in huiusmodi actuali, & veluti adaequata consideratione huius scientiae possit semper durare: videtur enim id posse, quia ratione unionis poterat uti intellectu suo, & qualibet scientia ultra vires naturales: ergo poterat simul elicere omnes illos actus: & videtur decessisse, ut id faceret, alias multo tempore aliqua obiecta huius scientiae ignorasset. Respondetur tamen, aliud esse loqui de potentia absoluta, & de modo operandi miraculoso, & praeternaturali huius scientiae, aliud vero de modo illi connaturali: priori enim modo poterat anima Christi eleuari ad elicendos simul plures actus, non solum huius scientiae, sed etiam inferioris: tamen posteriori, seu connaturali modo, non poterat per hanc scientiam habere, nisi vnum actum adaequatum vni speciei intelligibili, quia huiusmodi species semper infunduntur proportionatae, & adaequatae virtuti intelligendi, quae finita est, ut ex materia de angelis latius constet: verisimilius autem est, Christum vsum esse hanc scientiam modo connaturali: quia, cum per scientiam beatam omnia actu consideraret, non oportuit in hoc, extraordinario miraculo uti, & ideo probabilius est, vel non semper, vel fortasse nunquam, actu & simul considerasse omnia obiecta huius scientiae, quod plane sentit D. Thom. hic art. 5. ad 3. & tenet Durand. in 3. d. 14. q. 3. Neque enim propterea ignorasse aliquid dici potest, non enim ignorat, qui habitalem scientiam habet, & suo arbitrio uti illa potest ad considerandum id, quod voluerit, quantum non semper omnia actu consideret, ita vero erat disposita anima Christi: unde concluditur, animam Christi fuisse semper in actu secundo huius scientiae, per successionem seu transitum ab vno actu ad alium, angelorum more.

Dubium 3. Et hinc obiter expeditur aliud dubium, an, scilicet, anima Christi per hanc scientiam potuerit simul actu multa cognoscere. Quidam enim, vel simpliciter negant, ut Ric. d. 24. artic. 4. q. 1. vel quod perfecte possit, ut Marfil. q. 10. artic. 2. p. 4. concl. 4. qui addit, quo anima Christi plura simul actu cognoscit per hanc scientiam, eo minus perfecte attendere ad singula, quia vis intelligendi eius finita est. Dicendum est tamen, iuxta dicta, hoc esse verum de multitudine rerum, quae per diuersas species representantur, utendo adaequato & connaturali modo singulis speciebus: secus vero est de multis rebus per vnam speciem representatis: nam illae possunt simul, & vno actu perfecte considerari, sicut de angelis dici solet, propter rationem factam, quia virtus luminis est, quasi commensurata speciei intelligibili, & ideo omnia, quae per vnam speciem representantur, dicuntur cognosci per modum vnius.

Dubium 4. Sed vltimo quaeritur hicaliquis, quomodo possit anima Christi per voluntatem suam reducere, seu applicare hanc scientiam ad actum secundum, seu ad vsum huius speciei potius, quam illius. Et est ratio dubij, quia voluntas non infertur in incognitum: ergo voluntas utendi hac specie, seu considerandi hoc obiectum, supponit cognitionem eius, quae est repugnantia. Hae difficultas, sicut & aliae multae, quae hic tactae sunt, in materia de angelis fuisse tractatur, nam fere est eadem proportionalis ratio. Et ideo breuiter altero ex duobus modis expediri potest. Primo, dicendo, animam Christi iuuari posse cognitione scientiae beatae, per quam actu semper omnia considerat, ad applicandam per voluntatem suam hanc scientiam inferiorem ad actum secundum. Vel secundo, dicendo, animam Christi semper considerare aliquo modo per lumen huius scientiae, ipsummet lumen & species intelligibiles eius, tanquam perfectiones sibi inherentes: sicut enim illa anima semper actu considerat seipsam, ita etiam considerat omnes facultates suas, & perfectiones earum, & hac cognitio est sciens, ut an-

Et. Suarez, Tom. 1.

A tecedat illam voluntatem, per quam se applicat ad actus secundos huius scientiae.

SECTIO II.

Vtrum actus huius scientiae sit per modum simplicis intelligentiae, vel compositionis & discursus.

*T*riplex potest esse dicendi modus; primus est, modum operandi huius scientiae esse eundem, qui est homini connaturalis, atque adeo per modum compositionis, & discursus. Ita tenet Alexander A. Alenf. 3. part. q. 13. art. 5. Durand. 3. d. 14. q. 3. Fundamentum Alensis esse videtur, quia non ponit hanc scientiam, nisi per accidens infusam: sed hoc iam reiectum est. Fundamentum autem Durandi est, quia anima Christi non simul omnia per hanc scientiam considerat: ergo ex cognitione vnius peruenit in cognitionem alterius, quod est discurrere. Quae consequentia nullius est momenti: aliud est enim cognoscere vnum post aliud, aliud cognoscere vnum ex alio, quod est discurrere: alius eodem modo probaretur, angelos indigere discursu.

Secundus modus dicendi est, proprium actum huius scientiae esse per modum simplicis intelligentiae, cognoscendo praedicatum in subiecto, & conclusionem in principio, effectum in causa, & causam in effectu; nihilominus tamen potuisse Christum uti hac scientia, componendo, vel discurrendo. Hae est sententia omnium Thomistarum, videtur enim docuisse illam D. Thom. hic art. 3.

Tertia vero sententia est, actum huius scientiae semper ac necessario esse simplicem, nec posse fieri cum vera compositione, & discursu. Ita tenet Bonauent. in 3. d. 14. art. 3. q. 2. & Ricard. art. 4. q. 3. Quae sententia mihi verisimilior videtur.

Ad quam explicandam dico primo. Hae scientiae natura sua non est discursiva, sed est ad cognoscendum per modum simplicis intelligentiae. Probat per primo, quia lumen huius scientiae perfectissimum est, excedens lumen angelicum, ut D. Thom. etiam artic. 4. docuit. Rursus species perfecte representant res, prout in se sunt, sunt etiam vniuersales, ut infra ostendemus: ergo natura sua praebent vim ad cognoscendum perfecte res representatas, cognoscendo, & intuedo proprietates, vel effectus in suis principiis. Et confirmatur primo, quia per vnum actum huius scientiae possunt interdum simul videri res variae, etiam si inter se aliam connexionem non habeant, nisi quod per eandem speciem representantur: ergo multo magis cognoscuntur vno actu simplici ea, quae inter se connectuntur, ut proprietates & principium, vel ut causa & effectus, aut alio simili modo. Tandem confirmatur, quia ostensum est, & infra iterum dicitur, hanc scientiam esse perfectiorem angelicam: sed actus scientiae angelicae est per modum simplicis intelligentiae, ergo. Et in hac conclusione conueniunt auctores primi, & secundae sententiae.

Sed obicitur potest, nam per hanc scientiam cognoscitur Deus per effectus suos, ut dictum est: alio ergo actu cognoscitur Deus, & alio effectus eius, & vnus actus ex alio oritur: ergo talis cognitio necessaria fit per discursum. Antecedens patet, quia cum cognitio effectus ut intuitiva, cognitio autem Dei abstractiva, & vna sit cognitio propria & a priori, & alia a posteriori, non videntur posse in eundem actu coincidere. Respondetur potest primo, eodem actu, quo effectus perfecte cognoscitur, cognosci causam in effectu, tunc enim illa cognitio causae, quia veluti consequenter se habet ad illum actum, & quia causa non per se primo cognoscitur, sed quatenus connexa est cum effectu, ideo per se non dat nouam speciem actui. Et hoc modo cognitio intuitiva, & abstractiva, a priori & a posteriori, respectu diuersarum rerum, potest per eundem simplicem

Qq

placem